



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

XVIII. De his quae vi metúsve causa geruntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 576 Prima collectio Decretalium

litteris contineatur expressum quod prae-decessor noster C. super renuntiatione a te super privilegio & aliis scriptis facta nullum tibi vel successoribus tuis aut etiam monasterio & duabus Capellis de Pigavia praejudicium voluit generari.

### TITULUS XVII.

De circumventis.

*Idem Lucensi Episcopo & Abatti de Molon.*

**C**um illius vicem non suffragantibus meritis geramus in terris de cuius vultu prodit judicium & vident oculi aquitatem &c. *Et infra*: Si vobis constiterit Abbatem ipsum Cellæ novæ ad sedem apostolicam, antequam Episcopus in eum suspensionis & excommunicacionis & in monasterium interdicti sententias tulerit, legitimè appellasse vel esse à jurisdictione ipsius Auriensis Episcopi exemptum, eo non obstante quod Abbas ab Episcopo, sicut dicitur, circumventus præter fratrum suorum consensum ei obedientiam repromisit, cum fraus & dolus ei patrocinari non debeant, sententias illas judicetis appellatione remota penitus non tenere. Alioquin faciatis eas per censuram ecclesiasticam inviolabiliter usque ad satisfactionem congruam observari. Quod si forte Abbas ipse in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri, licet probet se ante dictas sententias appellasse, nihilominus tamen monasterium ipsum Auriensi judicetis Ecclesiae subjacere, in cuius diocesi est fundatum. Similiter eo in appellationis probatione deficiente, si vobis de exemptione vel legitima præscriptione constiterit, tam Abbatem quam monasterium ab ejusdem Episcopi & Ecclesiae ipsius super hoc impetitione penitus absolvatis.

*IDEM ARCHIEPISCOPO  
& Proposito sancti Andreæ.*

Lib. 1. epist.  
84.

**C**um universorum fidelium ab ipso Domino Iesu Christo pastoralis sit nobis cura commissa, sollicitudini nostræ dinoscitur expedire ut sic debeamus quoilibet in suis rationibus confovere quod aliorum jura in conspectu Ecclesiae dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeant permanere. Intelleximus siquidem dilecto filio G. Canonico sancti Johannis in Leodio referente quod cum & ipse & L. Clericus, ducti quadam ani-

mi levitate, permutationem præbendarum suarum inter se tractare cœperissent, quia utilitatem utriusque imminere credebant, tandem idem L. Clericus occasione dictæ permutationis, præbenda ejusdem G. quam in Ecclesia beatae Mariae Namurcensi habebat, cuidam suo consanguineo assignata, præbendam sancti Bartholomæi, quam sacerdotio G. promiserat, nequaquam voluit resignare; & sic idem G. (ut afferit) sua spe remansit omnino frustratus. Cum igitur deceptis & non decipientibus jura subveniant, fraus etiam & dolus nemini debet patrocinium impertiri, licet ipsi de se non possent ecclesiastica beneficia permuttere, ut tamen simplicitati venia tribuatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit prætaxatum G. taliter fuisse deceptum, ab ipsa Namurensi præbenda, quam diu dicitur possedisse, amoto consanguineo ipsius L. vel quolibet alio illico detentore, eandem sublatu appellationis obstaculo G. faciatis restitu memorato, & eundem ipsius pacifica possessione gaudere.

### TITULUS XVIII.

De his quæ vi metusve causa geruntur.

*Idem Decano & Subdecano Lincolniensi.*

**A**d audientiam nostram dilecto filio Lib. 1. epist. magistro He. significante pervenit quod cum Ecclesiam de Chevele auctoritate sedis apostolica canonice fuisse adeptus, & aliquandiu pacificè possedisset, gravissimo tandem Regis metu quod eam resignaret jurare coactus, eam in eorum ad quos pertinebat manibus resignavit. Quia vero quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, mandamus quatenus si eundem magistrum eo metu ad resignationem faciendam vobis constiterit fuisse coactum qui potuerit vel debuerit cadere in constantem, nonobstante juramento prædicto, quo non ad repetendum sed ad resignandum solummodo tenebatur, prefatam Ecclesiam ei per censuram ecclesiasticam sublatu appellationis obstaculo restitui faciatis.

*IDEM MASSILIENSI ET AGATENSI* Lib. 2. epist.  
*Episcopis.* 21.  
\* Leg. Flores.

**C**um dilectus filius Abbas de \* Ferendo &c. *Et infra*: Quia constitutus est de Ferendo &c. Nam causa Abbottillo extat lib. nobis 1. epist. 377.

nobis de voto emissō & præstito jura-  
mento à Canonicis insularum quòd re-  
gulam Cisterciensem observarent, non  
obstante violentia quæ proponebatur il-  
lata, cùm neque metum mortis continu-  
erit neque corporis cruciatum, & ideo non  
debuerat cadere in constantes, nec ob-  
sistente dolo quo se proponebant fuisse se-  
ductos, cùm talis dolus non tam ad cir-  
cumventionem Abbatis de Floreia quām  
ad fatuitatem eorum debeat retorqueri,  
super restituzione petita silentium de  
consilio fratrum nostrorum duximus eis  
sententialiter imponendum.

T I T U L U S X I X.

De licitis & illicitis juramentis.

*Idem Hugoni Comiti & Marsuicto Pisano  
Canonico.*

Lib. 1. epist.  
31. Cap. Signifi-  
cante de pig-  
nori.

**S**ignificante dilecto filio Rubeo cive  
Pisano ad nostram noveritis audienc-  
tiam pervenisse quòd cùm domum suam  
cum horto Gal. Pisano civi pro CLII. li-  
bris pignori obligasset, & promisisset, cau-  
tione præsta juramenti, quòd nisi do-  
mum ipsam statuto inter eos termino re-  
colligeret, eundem creditorem ulterius su-  
per ea minimè molestaret, infra statutum  
tempus per certum & fidelem nuntium  
pecuniam remisit: quam idem nuntius,  
infideliter agens, sicut ei injunctum fue-  
rat, non perfolvit. Cùmque postmodum  
prædictus R. ab Imperatore captus par-  
ter & detentus multa pericula sustinuerit  
& labores, nec dicto G. satisfacere po-  
tuerit, ut debebat, nunc per Dei gra-  
tiam libertati pristinæ restitutus, paratus  
est pecuniam reddere creditori; licet ip-  
se prorsus eam recusaret recipere, quia ei  
non eam statuto termino persolvit. Cùm  
igitur pactum commissoriæ sit in pigno-  
ribus improbatum, &c., quantum in eo  
fuit, prædictus R. juramenti debitum ad-  
impleverit, cùm per eum quem certum  
& fidelem nuntium sperabat pecuniam  
remiserit termino constituto, & dum in  
imperiali fuit captione detentus, satisfa-  
cere non potuerit creditori, devotioni  
vestræ præsentium auctoritate mandamus  
quatenus si præmissis veritas suffragatur,  
prædictum creditorem, ut sorte conten-  
tus existat, pensionibus præfati pignoris  
computatis in sortem, & domum ipsam  
& hortum præfato R. omni postposita di-  
latione resignet, per censuram ecclesia-

Tom. I.

sticam pacto vel tali juramento nequa-  
quam obstante, ammonitione præmissa,  
sublato contradictionis & appellationsis  
obstaculo, compellatis

*IDEM \* ARCHIEPISCOPO  
Armeriensi.*

\* Amelienſi  
Episcopo.

**S**icut nostris est auribus intimatum, Ecclesia dudum Tudertina vacante, ipsius Canonici & venerabilis frater no-  
ster Episcopus videns quòd cum eis, dum in minori esset officio constitutus, jura-  
menta quædam in damnum episcopalis  
juris fecerunt priusquam de Pontificis ele-  
ctione tractatus aliquis haberetur; quæ  
utrum servari debeant, cùm ex eis præ-  
sertim contingere episcopales redditus  
minorari, tanquam vir providus & dis-  
cretus olim nos idem duxit Episcopus  
consulendos. Nos ergo saluti ejus pater-  
na volentes sollicitudine providere, pro-  
juratione incauta imponi sibi fecimus pœ-  
nitentiam congruentem. Et nihilominus  
attendentes quòd juramentum, non ut  
esset iniquitatis vinculum, fuerit institu-  
tum, & quòd non juramenta sed perjuria  
potius sunt dicenda quæ contra ecclesi-  
sticam utilitatem attentantur, fraterni-  
tati tua per apostolica scripta mandamus  
quatenus personaliter ad Ecclesiam Tu-  
dertinam accedens, quod in damnum  
episcopalis juris repereris taliter attenta-  
rum, nostra suffultus auctoritate in sta-  
tum debitum appellatione remota redu-  
cas, faciens quod decreveris &c.

*Idem illustri Regi Aragonum.*

**E**x tenore litterarum tuarum nobis Lib. 2. epist. 22  
innotuit quòd quidam consiliarij  
tui, quin immo potius deceptores, tuum  
animum induxerunt ut jurares, inrequi-  
sito affensi populi, usque ad certum tem-  
pus patris tui conservare monetam, quæ  
tamen circa mortem ipsius fuerat legitimi-  
mo pondere defraudata. Quoniam autem  
eadem moneta est adeo diminuta & mi-  
noris valoris effecta quòd grave propter  
hoc in populo scandalum generatur, tu  
quod egeras indiferet, differetè cupiens  
revocare, ac necessitatibus populi satisface-  
re, ab observatione juramenti prædicti,  
ex quo tibi & regno tuo metuis grave pe-  
riculum imminentem, postulasti suppliciter  
à nobis absolvi. Super hoc vero diligens  
indagator veritate comperta potuissit fa-  
cile intueri quòd non tam erat absolutio  
necessaria quām interpretatio requiren-

D D d d